



Ant. Geinhardts Buch

Nr. 59. 2

25.  
MEMORIAM  
NATALITIORVM  
DOMINI NOSTRI AC SERVATORIS  
IESV CHRISTI

PIE SANCTEQVE CELEBRANDAM

INDICIT

ACADEMIAE ROSTOCHIENSIS

ANNO AB INSTAVRATIONE PRIMO

RECTOR

IOHANNES CASPARVS VELTHVSEN.

---

PRAEMISSA EST

SERMONVM ELIAE BVSITAE  
CARMINIBVS RELIGIOSIS ANTIQVISSIMIS INTERTEXTORVM  
EX IOBI CAPP. XXXII—XXXVII.

PARS PRIMA

QVAE INTERPRETATIONEM CONTINET.



Z

---

ROSTOCHII,

LITTERIS ADIUVANTIA

MEMORIAM  
NATALITIVAM  
DOMINI IUSTI DE SIKKATORIS  
IESU CHRISTI

RECTOR  
IOHANNES CASPAR ARNO, WILTVISEN

HERMOMMELIAE VISITAE  
CANTONIS RATIONE REVISITAE  
ANNO 1801 CALEND. XXVII. MENSE  
MARS PRIMA  
CANTONIS RATIONE REVISITAE



ROSTOCK



SEILERO· ERLANGENSI  
ET  
HEYNIO· GOETTINGENSI

PRAECEPTORIBVS· GERMANIAE

ACADEMIARVM· COLUMNIS

SEMINARIORVM· PARENTIBVS

VIRIS

VT· SIBI· BENE· CVPIENTIBVS

ITA· ANIMO· SVO· LONGE· DESIDERATISSIMIS

QVORVM

ALTERIVS· MONITIS· ATQVE· EXEMPLO

ALTERIVS· PRAECEPTIS· AC· DISCIPLINAE

QVANTVLVM· QVIDEM· EORVM· COMPARARE· IPSI· CONTIGIT

ACCEPTA· REFERT

ILLINC· PERSPICVITATIS· STVDIVM

HINC· SENSVM· PVLCRI· HVMANITATISQVE

OBSERVANTISSIME

ACTOR· PROGRAMMATIS

SEILERO ERLANGENSIS  
PRIMITIAS HAS  
INSTAVRATAE ACADEMIAE PATRIAE  
TRADIT DEDICAT  
SIMVLQVE RENATAE NVPER  
PATRIS PATRIAE BENIGNISSIMI  
PROVIDENTIA  
ET IAMIAM SVBOLESCENTIS  
FRIDERICAE FRANCISCAE

CVRAM EXISTIMATIONEM FAMAM  
ENIXE COMMENDAT ATQVE INIVNGIT

OBSERVANTISSIME  
AVCTOR PROGRAMMATIS






## P R A E F A T I O.



Scite CATO apud CICERONEM *de Senectute*,  
(cap. II.) partium humanae vitae extrema-  
rum laudes explicans: *Non verisimile est*, ait, *a natura*,  
*quum caeterae partes aetatis bene descriptae sint*, *ex-*  
*tremum actum, tanquam ab inertī poeta, esse neglectum.*  
Idem aptissime quadrare dixerim in oratorem  
libri IOBI postremum, ELIAM BVSITAM: „Non  
A 3 „veri-



„verisimile est, quum caeterae partes poematis drama-  
 „tici praestantissimi bene descriptae sint, EXTRE-  
 „MUM ACTVM, TANQVAM AB INERTI  
 „POETA, ESSE NEGLECTVM \*).“ Cujus rei  
 ut liberum atque integrum relinquam iudicium lecto-  
 ribus, simplicem dabo versionem, qua quidem sensum  
 ac mentem exprimere volui, non voces aut syllabas  
 numerare.

\*) Conferantur *Exercitationes criticae in Iobi Cap. XIX, 23—29.* quas  
 Lemgoviae anno 1772 edidi, pag. 107. 199.





SERMONES ELIAE BUSITAE  
CARMINIBVS RELIGIOSIS ANTIQVISSIMIS  
INTERTEXTI.

CAPVT XXXII.



Finis his Iobi sermonibus, | quum tam pertinax vitae  
suae innocentiam iactasset, triumviri quidem isti  
acquieverunt neque ultra obloqui ausi sunt. | Elias  
autem, Barachielis Busitae ex gente Rami filius, tandem ani-  
mum non amplius cohibuit suum, quippe graviter commotus  
non solum contra Iobum, quod is se injuria a DEO affici con-  
tendisset, | verum etiam contra tres illos familiares, quod in  
redarguendo amico rem ipsam parum attingissent et in virum  
probatissimae fidei sententiam damnatoriam ferre haud eru-  
buissent. | Ipse enim patienter auscultaverat Iobum dicentem,  
quia natu erat minimus omnium. | Quum vero triumviris istis  
commoda argumenta non suppetere animadverteret, aegre  
hoc ferens, | ipse tandem Elias, Barachielis Busitae filius, vere-  
cundiam vicit atque sic exorsus est fari:

Annos vestros, inquit, haecenus revereri iuuentutem  
meam decuit; itaque nonnisi cunctanter ac timide aggressus  
sum ad communicandam vobiscum sententiam meam. | Sic  
enim apud animum meum statuebam, scilicet natu majoribus  
docendi munus convenire, et quo quisque aetate provecior  
esset, eo illum ad promenda sapientiae praecepta fore aptio-

XXXI, 40  
XXXII, 1

2.

3.


4.

5.

6.

7.

rem



8. rem. | Verum enimvero insita est humanae naturae vis quae-  
 9. dam sentiendi, et summi rerum Moderatoris afflatus intelligen-  
 10. tes efficit: | neque ideo similia opinantium multitudo sapientiae  
 11. praesudicium excitabit, neve ad finiendos recti limites senectu-  
 12. rem putemus valere. | Igitur animum induxi, me quoque au-  
 13. diendum, meamque pariter in medium proferendam esse sen-  
 14. tentiam. | Omnino patienter auscultans sermonibus vestris  
 15. attendi; aurem ad rationes vestras arrexii, quamdiu argumen-  
 16. tis investigandis operam dabatis; | atque studiosissimum me  
 17. vobis praebui auditorem. Sed fatendum mihi est, a nemine  
 18. vestrum satis apte ad verba Iobi responsum, neque eum adhuc  
 19. dictis istis vestris pravarum sententiarum convictum esse. |  
 20. Ergo non est, quod gloriemini, quasi jam omnis dicendi  
 21. materia exhausta sit a vobis, non posse illum ab hominibus  
 22. coargui, relinquendum illum esse DEO irato, qui arrogantiam  
 23. ejus retundat! | Atqui non contra me directa fuerunt verba  
 24. illius: neque etiam argumentis, quibus vos usi estis, ei respon-  
 25. surus sum. |  
 26. Consternati obmutuerunt. Missam fecerunt causam  
 27. suam. | Frustra opperior, ut dicere pergant. Silent. Desie-  
 28. runt loqui. | Ergo et mihi nunc vicissim liceat ad dubia ista  
 29. respondere et meam pariter in commune conferre sententiam. |  
 30. Namque affluunt mihi argumenta, et impetu quodam vehe-  
 31. mentiore comprimi sentio praecordia mea. | Pectus mihi paene  
 32. rumpitur, velut in vino aperturam quaerente, velut in utribus  
 33. recentibus accidere solet. | Loqui me oportet, ut respirare  
 34. queam. Satis diu labia continui. Effabor tandem, quid mihi  
 35. in hac causa videatur. | Nemini favens, non mutabo nomina  
 36. in gratiam cujusquam: | nominibus utar, ac si neminem nosssem.  
 37. Brevi me auferet Conditor meus. |

CAPVT XXXIII.

Tu autem jam audias, obsecro, mi lobe, verba mea; atque  
 argumenta mea singula aufcultes. | Modestiam, quae me adhuc  
 retinuit, vici tandem; te ipsum alloqui jamjam annitor. |  
 Vera pectoris sensa expriment sermones mei: sinceram et ab  
 omni fallacia puram sententiam pronuntiabunt labia mea. |  
 Conscijs mihi sum, me non sine Numine natum esse, summi-  
 que rerum humanarum Moderatoris afflatu me vivere. | Si  
 poteris, refuta me: aciem contra me instrue: in arenam  
 descende. | Coram DEO pares sumus uterque, ex eodem  
 luto effecti. | Haudquaquam formidabilem me habebis adver-  
 sarium, aut pugnacitate molestum. | At vero praesens inter-  
 fui, et meis his auribus audienda mihi fuit ista vox, qua con-  
 tendere ausus es, | te innocentem, nullo delicto onustum, et  
 a culpa liberum esse: | onerosam tibi litem intendi, atque ini-  
 mici loco te haberi a DEO; | nervo et compedibus te con-  
 stringi, gressusque tuos singulos insidiosè observari. | Eateus  
 in errore versaris, crede mihi! Accipe autem nunc, cur ita  
 ego statuam. Scilicet, considerare omnino debebas infinitam  
 naturae divinae magnitudinem atque excellentiam, qua humi-  
 litatem mortalium DEVS longissime superat. | Quare igitur  
 ultro actionem contra Illum moves, quod singulorum suorum  
 consiliorum rationem patefacere non dignatur? | Etenim  
 simulac semel DEVS aliquid decrevit, iterata perlustratione  
 haud indigent opera Ipsius. |

*Visis nocturnis, suavi quum fessa sopore*

*Membra cubant extenta, DEVS mortalibus adstat*

*Consilii arcani monitor, ne forte superbi*

*Temerè contentur legis praecepta paternae.*

*More patris castigat eos, ne morte putrescant,*

B

Virtuti



*Virtuti ut studeant stabilique salute fruantur.*

*Obvia nunc Orci minitantis rela repellit;*

*Nunc, quos corrigere est animus, cruciatibus angit.*

*Affixis lecto caro desluit; ossa teruntur;*

*Vita, cibusque, dapesque cient fastidia; macris*

*Et cutis (horribile adspectu!) vix ossibus haeret.*

*Mors venit appropinquans: actum est: natura supremos*

*Viribus exhaustis non ultra perferet ictus.*

*Tum quia Legatus caelesti ex agmine princeps,*

*Ille renascentis fortunae Conciliator,*

*Iura docens aeterna DEI, morientibus adstat,*

*Non est, quod timeant, et adhuc clementia salva est.*

HVNC MIHI CONCEDAS, (dicet.) PRETIOQVE REDEMTVM

CAPTIVVM EXSOLVAS VINCLIS, NE MORTE PVTRESCAT:

CORPVS DEFVNCTO REDEAT, VIRIDISQVE IVENTAE

FLORE NOVO SPENDENS ANIMAM PRODVCERE PERGAT!

*Supplice tunc Numen prece si moribundus adoret,*

*Placatum spectabit, et exsultans pietatis*

*Percipiet fructus: (lenis DEVS atque benignus*

*Humano generi facilem se praebet et aequum:)*

»Ipse sciens quanquam deliqui multa volensque,

»Flagitium (dicet,) non poena est digna secuta:

»Vitam servavit redimens, ne morte putrescam;

»Salvus luce fruor, reviresco et vivere pergo!« \*) At

- \*) Pressius ad litteram: — In somnio visi nocturni, quum sopor occupat  
 16. homines, dum dormitant in cubili, | tunc in aurem hominum insusurrat, et  
 17. correctioni illorum disciplina sua perficiendae sigillum imprimit, | ut factum  
 18. removeat homo, ut superbiam propellat a mortali. | Spiritum ejus a cor-  
 19. ruptione ac putredine ruetur; et vitam illius, quo minus in telum incur-  
 20. rat. | Castigatur doloribus in lecto suo, et ossa ejus perpetuo dissidio atte-  
 21. runtur. | Vita ei misera fastidium mover, et cupiditiae delicatissimae nau-  
 22. seam ei concitant. | Caro ejus contabescit, ut adspectus deterreat; et ossa  
 23. ejus protruduntur, ut aegre contuitum admittant. | Vita ejus prope a pu-  
 24. tredine abest, et anima ejus prope a nece. | Si illi adstat Angelus Inter-  
 24. nuntius, singularis ex millenis, indicaturus mortalibus officia a DEO  
 ipse demandata; | miserebitur ejus, et dicit: »Vinculis rupis liberum di-  
 mitte


Atque tam manifesta habemus tantae erga moribundos  
 clementiae documenta, ut bisve terve | vitam eorum a pulvere  
 retroducat, ut lumine vitali collustrentur. |

Haec, velim, mi Iobe, rite expendas. Attente me  
 ausculta. Submisso animo audi loquentem. | Quodsi, quae  
 obvertas, in promptu habes, exprome! Profer, obsecro, in  
 medium; etenim ab omni culpa liberum te sistere cupio. |  
 Sin tu nihil, submisso animo audi porro loquentem, et vera  
 sapientiae praecepta in memoriam tibi a me revocari patere. |

CAPVT XXXIV.

Tum pergens Elias: | Accipite, ait, viri sapientes, argu-  
 menta mea; auscultate, arbitri peritissimi, dicentem. | Vt  
 enim in cibis gustandis palato, sic in verborum pondere ex-  
 aminando aurium iudicio aliquid tribui solet. | Vero nihil ha-  
 beamus antiquius; consultemus invicem, qua re sententiarum  
 altera alteri praestet. | Scilicet Iobum nostrum contendere  
 audivimus, justam se causam habere, sed jure suo se privari  
 a DEO: | cogi se, ut contra suum jus falsis argumentis utatur:  
 immedicabile vulnus sibi infligi, quanquam delicti non conscio. |  
 An decet talem virum, qualem in Iobo nostro veneramur, iis  
 se similem gerere, qui, religionis expertes, cavillationem  
 sitiunt, sicut aquam, | et societatem inire cum sceleratis, aut  
 B 2 viae

„mitte eum, ne in corruptionem incidat; pretium redemptionis inventi; |  
 „nova juventute a morte revirescat corpus ejus, redeat ad aetatem ma-  
 „turae adolescentiae! „ | Supplicabit DEO. Propitius illi erit. Laetitia  
 exsultans faciem Ejus spectabit. Rependet homini meritum suum. | Lenem  
 sese erga homines praebet. Dicit: „Peccaveram et rectum perverteram,  
 „sed non par pari relatum mihi est. | Redemit spiritum meum, quo minus  
 „in pulvorem abirem; et vitam meam, ut luce frui pergerem „ |



9. viae comitem se adungere impiis, | ut perhibere ausus sit, non  
 10. prodesse quidquam homini, quod in consuetudine cum DEO  
 11. maximum suum delictum ponat? | Itaque, viri cordati, me  
 12. auscultate! Omnino profanum fore dico, injuriae illatae DEVM,  
 aut iniquitatis insimulare summum rerum humanarum Modera-  
 torem. | Nam certo dignam factis mercedem repender homi-  
 nibus, et vitae actae convenientem sortem obtingere jubebit  
 unicuique. | Enimvero injuriam profecto DEVS inferre nequit,  
 nec iudicium pervertendi libido cadit in summum universi  
 Gubernatorem.

13-15.

*Mundi praesidium numquid Is alteri  
 Debet? quisve potens constituit globum?  
 Quem si sola Sui cura tenet, suum  
 Quidni contrahit balitum?*

*Atqui tum subitis stragibus omnia,  
 Toris agminibus florem animantium  
 Exspirare, hominum mox quoque cerneret  
 Solvi pulvere corpora! \*)*

16. Quae si ita sunt, attende! Audi haec. Arrige aurem, et  
 percipe vim argumentorum meorum. |

17. 18.

*Num jura sternens fraudibus litem teget?  
 Iusti colentem injuriae  
 Damnabis? An fas est: SCELESTE! principi;  
 Regive: NEQVAM! dicere? \*\*)*

[Quanto

13. \*) Quis telluris curam Ei injunxit? aut quis orbem terrarum univ<sup>er</sup>sum  
 14. constituit? | Si Sui tantum curam haberet; spiritum balitumque suum ad  
 15. se retraheret, | exspirarent cuncta animantia simul, et homo rediret in  
 pulverem! |

17. \*\*) Numquid etiam ei, qui jus odit, opus est ut fraudem committat? an  
 18. justam causam habentem, eumque potentia pollentem, injuriae illatae accu-  
 sabis? | Ergone Regi licet dicere: „Profligatus homo es! „et Principibus:  
 „Sceleste!“ |

[Quanto minus fas est, injuriæ illatae accusare 18. 19.  
Eum, — — —]

— — — — — qui 19-32  
Non, optimatum partibus annuens,  
Largos egenis anteponit,  
Conditor ac pater universi!

Cunctos eadem morte jubet rapi:  
Turbata noctu plebs perit; occidunt,  
Non vi neque armis appetiti,  
Consimili exitio potentes.


Mortalium nam fata regit DEVS  
Ac singulorum perspicit indolem,  
Delicta clanculum patrata,  
Lucifugos latebrasque cernit,

Et nec putantem in iudicium trahit,  
Frangit superbos, nec mora nec modus,  
Sedesque ab illis derelictas  
Mox aliis tribuit tenendas.

Vitæ peractæ crimina noscitant  
Hinc pro frequenti concilio reos  
Vergente nocte conterendos,  
Supplicium gravius daturus,

Condemnat: istos, obsequium palam  
Quos denegare, atque auspiciam potens  
Vultu feroci pernegare  
Numinis baud puduit tremendi!

Clamant egeni; nec DEVS immemor  
Spernit querelas: si patiens sedet,  
Quis ausit Vltorem morantem  
Elicere, aut temere involare



In os supremi Iudicis? *Eu! vides,  
Ut singulorum, sic quoque gentium  
De sede turbari catervas,  
Cladibus et subitis perire*

*Reges profanos, qui populum suis  
Contagiosis moribus imbuunt,  
Iurare qui non erubescunt:  
Pignoris haud titulo recepi!*

*Litem sequamur! Quid mea? Tu doce,  
Me fraudulentem surripuisse. Sin  
Ius obtinebis, (pollicebor!)  
Haud repetam facinus patratum. \*)*

33. Ergone ex tua sententia debitum tribuat? Immo sprevisi  
liberalem gratiam! Immo tutemet ipse tibi sponte sententiam  
attraxisti, non ego. Numquid igitur porro scis? Profer! |  
34. Viri cordati mihi respondeant; quotusquisque sapientiae stu-  
der,

19. \*) qui personam principum non tanquam acceptiorem praefert, neque  
Munificum in praesentia Egenti pro digniore agnoscit; siquidem opificium  
20. manuum Ejus universi sunt. | Subito moriuntur: media nocte concutiuntur  
21. plebeji, ac pereunt; et remouentur potentes, non vi humana. | Etenim oculi  
22. Ejus res humanas inuentur, et singulos mortalium motus obseruat. | Non  
tenebrae obversantur, non tectae umbris tartareis regiones, quibus sese  
23. abscondant malefici. | Neque enim diem iudicii hominibus praestituit, quo  
24. coram DEO iudice se sistere debeant. | Sine praevia causae cognitione  
25. tyrannos frangit, et alios in locum eorum succedere jubet. | Profecto  
cognita ac perspecta habet facta illorum. Nocte vertente conteruntur; |  
26. 27. propter malitiam eorum percutit illos in conspectu omnium, | utpote qui re  
vera ab obsequio mandatis Ipsius debito recesserint et praecepta Ejus ne-  
28. glexerint; | ita ut illorum culpa clamitatio egenorum ad Eum penetraret  
29. atque audienda Ipsi esset quiritatio oppressorum. | Quod etiamsi tranquillus  
assidet, quis inculpate audebit iustitiam Ejus? si vultum abscondit, quis in-  
30. tueri sustinet? Etenim tam in gentes universas, quam in singulos homines  
animadvertere non desinit, | ne regno frui pergat homo in religione claudi-  
31. cans; unus ex illis, qui offendiculo sunt et pessimo exemplo populis; | quippe  
qui non erubescat, vel juratus, huiusmodi uti verbis: „Accepi! Non pigno-  
32. ris loco sumere volui! | Quid mea refert? Litis eventum experiar. Con-  
vince me. Si injuriam intuli, non repetam!“ |



det, auscultet me! | Non satis prudenter locutus est Iobus; 35.  
 non satis caute expressit mentem suam: | attamen profecto 36.  
 tanquam vir probatae fidei contra accusationes iniquas constabit Iobus in perpetuum inter homines injuste pietatem ejus in suspicionem adducentes. | Interea ille peccatum delicto ag- 37.  
 gravat, dum in praesentia nostra sibi applaudit et nimis verbosus orator contra DEVM exsurgit. |


CAPVT. XXXV.

Iterum pergens Elias: | Numquid hoc putas, inquit, recte a xxxv. 1.  
 te factum? Iustiorum tibi, quam DEO, causam tribuisti. |  
 Quod etiamsi ita verbis abuti placer, quid hoc tibi utilitatis 3.  
 affert? An emolumentum sperare possum a peccato meo? |  
 Liceat mihi et ad tua argumenta et ad familiarium tuorum 4.  
 fermocinationes accuratius respondere. |

Adspice caelum, et considera. Nubium molem supra 5.  
 caput tuum se attollentem contemplare! | Si peccato indulges, 6.  
 ecquid contra eum efficies? aut si delictum multiplicas, ecquid offerri a te potest, ut Ipsi satisfiat? | Si pius es et virtutem 7.  
 colis, numquid inde lucri accrescit Illi? | Hominum tui simi- 8.  
 lium interest, gentis mortalium interest, sceleri studeas an virtuti. |

*O quantos gemitus rabies injusta potentum* 9-14.  
*Extorquet! quantis resonat clamoribus aether!*  
*Neve tamen dubites, quin sint mortalia curae*  
*Fata DEO! Quis enim tibi noctu cantica praebet?*  
*Quis tibi docturas animantes, quisve magistras*  
*Ante oculos posuit volucres? Clamantibus Ille*

Non



*Non respondebit, nec ab ullo cernitur Ipse;*

*Ast audit spectatque! — — —*

*Iudicium ante oculos versatur Ei; patienter*

*Nos decet expectare diem! — — —\*)*

15. *Iam vero quia DEVS non iracundiae impetum sequitur, ut statim in flagrante delicto puniat, et quoniam multitudinem scelerum sine modo ingravescentium non curat, |*  
 16. *inde factum est, ut verbis inanibus nimis libere indulgeret Iobus, et loquacitate sua incautius abuteretur.*

CAPVT. XXXVI.

- xxxvi. 1. **P**orro Elias argumentum suum persecutus est hoc modo: |  
 2. *Adhuc parumper patientem te mihi praebe auditozem, ut totam tibi causam exponam; nondum enim absolvi, quae pro*  
 3. *DEO dicenda habeo. | Altius mihi repetenda erit sententia,*  
 4. *ut jus suum vindicem vitae meae auctori. | Verum enimvero falsis argumentis haud utar, sed rationibus, quarum integritas tibi ipsi videbitur approbanda. | Hanc igitur teneas, velim, sententiam: Annon DEVS, Ipse quum sit praepotens, improbet, necesse est, eos, qui ex nimia animi impotentia potentes sibi videntur? |*

*Salvos*

9. *\*) Prae multitudinis oppressorum clamores atolluntur, quiritationem excitat violentia multorum. | Neque tamen licet cuiquam quaerere: „Vbi est DEVS, vitae meae auctor?“ — — [nam quis dubitet, quin praesentissimus interit rebus humanis Ille, ] qui noctu cantica praebet; | qui nos doctrina impertit ab animalibus terrestribus petenda, et ab aereis volucibus lauriendam sapientiam nobis exhibet? | Illic ob arrogantiam sceleratorum clamores atolluntur, et Ipse non respondet; | at vero non frustra audit DEVS, non frustra intuetur illud summus rerum humanarum Moderator. | Quod etiamsi dicit, a nemine Eum spectatum iri; | Ipsi certe iudicium ante oculos versatur: tu autem patienter illud operire! |*

*Salvos tyrannos esse posse, ne putes,*

*Aut jura sperni stentium!*

*Sortem piorum curat Is, qui regibus*

*Solium decusque commodat.*

*Iam vinculis constringit, arrogantiae*

*Crimen repente puniens,*

*Vt corrigantur. Si gerunt morem, vides*

*Aevo quieto perfrui;*

*Sin obsequi nolunt, gravem saepissime*

*Subire cernimus nocem.*

*Hos dico, qui clementiam ferocius*

*A se repellunt Numinis,*

*Nec supplicem periculo obvertunt precem;*


*Cum pube molli corruent!*

*At supplicem DEVS periculis eripit,*

*Monitosque corrigit malis. \*)*

Atque tuae etiam virtuti stimulos addere. voluit istis, 16.  
 quae tibi evenerunt, malis. Ore ac faucibus periculi erepto  
 tibi, post tot miseras angoresque incolumitas, in cujus locum  
 novi terrores haud sunt successuri, et status tranquillus obtin-  
 get. Cibis delicatissimis instructa erit mensa tua. | Quod 17.  
 C etiamfi

\*) Oppressorem salvum evadere non sinit, nec potest quin oppressis jus 6.  
 cuique suum tribuat. | Non subtrahit a piis oculos suos, regibusque a se 7.  
 evehendis solum assignat perenni gloria occupandum. | Quod etiamsi com- 8.  
 pede victos, captos ac misere constrictos tradit, | consulto id agit, ut facta 9.  
 agnoscere cogantur et delicta, sicubi insolentius se gerere coeperint: | corri- 10.  
 gendos admonet: ad frugem bonam redire jubet. | Si obsequium praestant, 11.  
 moniti, et cultum summo Numini debitum, aetatem abhinc longævam feli- 12.  
 citatis plenam, ac vitam jucundam transigent: | sin minus, in tela adversa 13.  
 irruent, et nec opinantes expirabunt. | Isti autem, qui animo fluctuantur, 14.  
 exacerbati et quasi ira in DEVM armati clementiam Illius, quum victos 15.  
 eos tradit, implorare nolunt. | Itaque in flore juventutis iis moriendum, 16.  
 et cum pube effeminata contabescendum est. | Contra ea periculo liberat  
 illos, qui animo submisso calamitatem perferunt Ipsiusque clementiam sup-  
 plices implorant, nec nisi in admonitionem cum adversa fortuna conflictari  
 eos patitur. |



- etiam si plus, quam satis erat, sortem improborum expertus es, iusta causa obtinebit tandem. | Interea rigorem irati Numinis imminentem vidisti, ne forte ad peccandum incitareris, nimium tibi plaudendo, et *ut ne vel ipsa pretii pro redemptione oblata amplitudo ansam tibi praeberet declinandi a recto tramite.* |
18. Numquid novum naturae ordinem introducere vis isto tuo clamore? Coeprum tam arduum ne potentissimi quidem, in
20. unum locum si omnes conveniant, perfecerint! | Cur anhelans totas noctes trahis, quasi tua causa loco suo populos
21. emigrare oporteat? | Cave, ne sensim in crimen incidas, si exultantis laetitiae motibus obtemperas potius, quam modestiae summo Numini debitae. |
22. Confidera, quantum potentia sua excellat DEVS? Ec-
23. quem tibi, si scis, meliorem expeteres magistrum? | Quis Illi officium aut agendi rationem demandavit, ut corripere
24. Eum audeat, quasi prave functus sit munere suo? | Hoc cura, ut magnifices decreta Ipsius, quippe experientia seculorum
25. comprobata, | quae admirationem excitant generis humani, quae futura prospicientibus mortalibus e longinquo obversantur. | Confidera, quantum magnitudine DEVS excedat scientiam nostram: annorum Ejus numerum ecquis perscrutatus est? |
27. Quum aquae guttulas attenuat, liquatae pluviam mittunt
28. eamque in nebulam resolvunt: | quae quidem nubibus effusae
29. destillant in hominem cum auctore suo litigantem. | Is verum vel nubium expandendarum justam mensuram intelligit,
30. quae cum strepitu coeuntes tugurium DEO praebent? | Confidera, quo modo fulgur suum super eas expandat, atque oceani
31. fundamentis quasi amiculum injiciat. | Quid? quod his ipsis  
poten-

potentiae suae effectis hinc in populos delinquentes animad-  
vertit, illinc cibum parat ad amplificandam providentiam suam. |  
Binas manus ignibus involvit, atque hinc mandata dat fulmini 32.  
contra adversarios suos, | illinc amicos suos ei indicat odio 33.  
contra delictum incensos. |

CAPVT XXXVII.

Quae quidem considerans, cor mihi palpitare et velut ex loco XXXVII, I.  
suo diffilire sentio. | Attendite fragorem intonantis, sonitum- 2.  
que ex ore Ejus prodeuntem. | Sub omnibus mundi plagis 3.  
soluta dimittit tonitrua sua, et fulgura sua vibrat super vertices 4.  
telluris. | Fulmen insequuntur tonitruum rugientium fragores. 4.  
Intonat voce sua; nec moram, ex quo semel audiri coepta est 5.  
vox Ejus, interponit. | Mirum in modum DEVS intonat voce 5.  
sua. Idem magnifica et nostram omnino intelligentiam supe-  
rantia perpetrat. | Quando nivi praecipit, ut in terram decingat, 6.  
imbres pluviales subsequuntur; divinitus demissarum pluviarum 6.  
imbres vehementissimi! | Singulorum hominum manibus quasi 7.  
figillum impressit, quo Sua cura ad probitatem formatum 7.  
quemque a reliquis discernat. | Interea vel ipsas feras ob- 8.  
servamus in latibula sua sese recipere et in lustris suis pro-  
cumbentes delitescere. | Imbribus turbo, disseminantibusque 9.  
fulgura nubibus frigus succedit. | Afflatu DEI concrefcit 10.  
glacies, et mare, quam late patet, constringitur. | Etiam 11.  
grandinem nubila dejiciunt, sparguntque nubes fulgura sua, |  
quae quidem huc atque illuc per gyros se vertentia pro con- 12.  
silio gubernantis unumquodque Ipsi mandatum exsequuntur  
in orbe terrarum, | et, sive illud ad singulas populorum tri- 13.  
bus,



bus, five ad terram ab iis habitatam, five ad coetus hominum casu fortuito congregatos pertineat, nunquam a scopo aberrant. |

14. Haec attende, mi Iobe: animo arrecto adsta, et facta  
 15. DEI mirabilia perpende. | Numquid scientia tibi contigit  
 16. ejus rei, quo modo DEVS de disponendis istis naturae miraculis apud animum suum statuerit, quum ex nubilis suis fulgura emicare juberet? | Numquid eorum consiliorum scientia tibi obvenit, quo modo justa nubium pondera velut ad libram examinaverit? Obstupefendum sane opus, perfectissimae scientiae artificem prodens! | Ergo tu, qui amiculo indiges calido, interea dum de frigore securam vitam agunt  
 17. ad austrum versus sitae regiones, | socium te Illi praebuisti, quum caeli nubiumque contignationem expanderet; solidum  
 18. opus, et speculi fusi speciem prae se ferens? | Itaque edoce nos, quid Ipsi a nobis sit respondendum! nos enim prae tenebris tantis haud sustinebimus aciem contra Eum instruere. |  
 19. Numquid Sibi enarrari patietur, quum locutus fuero? an quis  
 20. mutire ausit, quin extinguatur? | Mox autem fulgura non amplius cernuntur; variis tantum coloribus splendent inter  
 21. nubes, a vento, qui jam transit, purificatas. | A septentrione quasi aurum emicat. Splendida majestas DEVM venerandum involvit. | Summum universi Gubernatorem nemo nostrum assequi potest. At vero potentia excellit, et justique amore, et nunquam satis admiranda clementiae aequitatisque amplitudine. Opprimendi libido haud cadit in  
 22. Ipsum! | Propterea reveantur Illum mortales! Isti autem, qui in sua sibi nimium confidunt sapientia, Eum non spectabunt!




## EPILOGVS.

Quae hactenus exposui, ea satis largam meditandi suppeditabunt materiam pietati VESTRAE, CIVES CARISSIMI, per has ferias natalitiis optimi Servatoris consecratas. Rationes interpretandi grammaticas, philologicas, criticas, omnemque adeo apparatus hermeneuticum, ad proximam opportunitatem servabo, \*)

C 3


ne

\*) Binorum tamen locorum, in quibus cardo interpretationis vertitur, anticipare malo vindicias, ut appareat, me vera ubique lectionum ac significationum vestigia, non luxuriantis ingenii commenta aut conjecturas sectatum esse. — Ita in ipsa horum sermonum peroratione XXXVII, 24. consonantes vocis tres postremas praecedentis  $\text{רָאָה}$  pro  $\text{רָאָה}$  habent (licet punctis vocalibus diversis) LXX, AR. SYR. et una ex glossis paraphrasi *chaldaeae* insertis, nec non praeterea 45 *codd.* KENNICOTT. (Sic manifesta apparet allusio ad XIX, 26. 27.) — In primis autem rationibus jamdudum in *Exercitationibus in Iobum* (pag. 105. seqq. not. ff.) a me expositis, cur verbum memorabile  $\text{רָאָה}$  XXXIII, 25. vertam, *post mortem revirescere*, triplex nunc, eaque gravissima auctoritas accedit. Neque enim solum etymologia, verum etiam *tres Interpretes antiqui* hunc significatum confirmant. Nam non satis accurate verbi hujus quadrilitteri alterum trilitterum in voce  $\text{רָאָה}$  quaeritur. Illa certe non promiscue significat *crefcere*, ut in plantis, sed *augeri, et numerum crescentem* indicat, e. g. Iob. XXXV, 15. (Idem verbum etiam in *chald.* lingua *augeri* potius, quam *crefcere*, denotat. Exemplorum multitudinem exhibet BUXTORF. in *Lexic. Chald.*) Igitur rectius SCHROEDERVS in *institutionib. ad fundamenta linguae hebr.* Sect. VI. R. 70. quem cels. DATHIUS sequitur, radicem  $\text{רָאָה}$  confert. Neque tamen satis apte vertit,



ne videar commentarium scribere, dum libello tantum opus fuit.

vertit, *crassus fuit*. Nam ea significatione isthoc verbo et *hebraice*, v. c. Pf. CXIX, 70. et *chaldaice*, quod multa exempla comprobant apud ВУХТОРЕ. (*Lexic. Chald.*) non *physice* qualiscunque pinguedo, sed sensu *moralis* ingenii crassitudo exprimitur. (In *arabica* etiam dialecto secundum CASTELLVM haec vox cum  $\text{ש}$  scripta pingue *ingenium*, non *corpus* obesum denotat. Apud GOLIVM istius significationis non occurrit mentio.) Contra ea vocabulum  $\text{שֶׁטֶט}$  ( $\text{ש}$  pro  $\text{שׁ}$  secundum regulam) *arabice* vim habet, *mortuus est*, et tam de *hominibus*, teste CAMVSO; quam de *jumento*, auctore GIEVHARIO, usurpatur. Iam autem tres Interpretes antiqui ex IOBI capite XIV. vocabula significantissima ad exprimendam verbi nostri notionem repetunt. SYRVS et ARABS vertunt  $\text{חַר}$ , qua voce Iob. XIV, 7. arborum *emortuarum* *regerminatio*, quemadmodum ibidem v. 14. nomine  $\text{חַרְיִפָּה}$  *palingenesia corporis* (LXX. *ἕως πάλιν γένεμαι*, *Exercitat.* pag. 79.) describitur. CHALDAEVS per  $\text{שֶׁטֶט}$  vertit, quod vocabulum pariter Iob. XIV, 10. in contextu hebraico occurrit, ibique non oppositionem, sed *comparationem* cum arbore *regerminante* efficit, (*Exercit.* p. 77. not. g.) siquidem *arabica* lingua tam in verbo, quam in nomine illud adhibetur ad denotandas *plantas aridas a radice revirescentes*. Quare perperam verba *chaldaica*  $\text{אֲתַחֲלִישׁ בַּסְּרִיָּה}$  vertuntur: *infirmatur caro ejus*; quum verti debuissent: *Revirescet corpus ejus*. Quibus observatis jam quarto loco in eandem sententiam trahi oportet *versionem LXXviralem*: *ἀνανεώσει δὲ αὐτοῦ τὸ σῶμα*, „*Renovabit autem corpus ejus*;“ praesertim, si cum hoc loco adhibitum ab eodem interprete in superiori loco vocabulum *palingenesias*, *renovationis ac regenerationis*, (Tit. 3, 5.) contuleris. Ergo vel ipsa *grammatica* jubet, ut *veritas*; *Corpus emortuum revirescet*.



P. P.

ROSTOCHII D. XXIV DECEMBRIS MDCCLXXXVIII.



Fd 3348

ULB Halle

f  
3


002 500 558



sb.

mt.







B.I.G.

Farbkarte #13

25.

MORIAM  
LITIORVM  
OSTRI AC SERVATORIS  
CHRISTI

EQVE CELEBRANDAM  
INDICIT

AE ROSTOCHIENSIS

E INSTAVRATIONE PRIMO

RECTOR

SPARVS VELTHVSEN.

AEMISSA EST

M ELIAE BV SITAE

SIS ANTIQVISSIMIS INTERTEXTORVM

CAPP. XXXII—XXXVII.

PARS PRIMA

PRETATIONEM CONTINET.



Z

OSTOCHII,

RIS